



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Menapii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

MENAPII. CAP. XXXIX.

Menapiorum autem pelta rubra erat in alba parma, sed infra in eo albo sub pelta canis lutei coloris, pedibus ad cursum quantum fieri possit, exporrectis, utero ad peltam verso, dorso parmae superficiem spectante.



VESONTES. CAP. XL.

Vesontes, qui sub illustri viro Magistro peditum militabant, parmam habebant peltis quatuor caeruleis insignem, quadrangulari situ intra parmae marginem & centrum dispositis: centram autem in partes quatuor decussatum, quarum duae albae, caeruleae duae. Circa centrum coloris rubri circulus, & in parmae ambitu alter itidem ruber conspicitur.



ANCILIA. CAP. XLI.

Antonini Pii numisma.

Ejusdem omnino significati Ancile est, cujus figura, ut ex veterum numis habetur, ovalis est, ductu quidem oblongiore: quod, ne cui dubium relinquamus, ex Antonini Pii numo didicimus, ab cujus altera facie scuta tria una serie disposita, ea qua diximus figura conspiciuntur, quibus inscriptio subiecta est, ANCILIA. In altero Antonini ejusdem numo scuta sex habentur anciliorum specie, ut paria duo, uno super alterum sublato, partem inferiorem ostendent, qua scilicet brachium insertatur: mox singula utrique pari appensa, quae umbonem spectandum objiciant, in eum quem vides modum. Litera nonnullae in eo quem attrectavi numo detrita sunt, una excepta locutione, SUPERATO: ubi etiam duo prima elementa ita curta sunt, ut vix discerni ab oculatissimo quoque possint.



SAPIENTIA. CAP. XLII.

Ea plurimum forma scuta sunt, quae Palladi dedicantur: quamvis non negarim orbiculari etiam specie nonnumquam facta, cujusmodi est Argolicus clypeus, quem Maro cum Phaebea confert lampade. Hieroglyphicum vero id esse plerique volunt, ut orbem indicare videatur, qui sub clypei specie regatur a sapientia. Quare Martianus Capella, qualisqualis author est, ita de Pallade ait:

Hinc tibi dat clypeum sapientia, quod regat orbem.

PAVITATIO. CAP. XLIII.

Quoniam Medusa caput inspicientes in saeva vertentur.

DE Medusa vero, quae sit in umbone medio figurata idem sentit, quod in serpentis commentario diximus, ubi de Domitiano loqueremur, qui Medusae signum gestare solitus est ad stuporem, quem affectabat de se inter mortales concitari. Martiani versus de Medusa:

Quod pavidum stupitet sapiens solertia vulgus.

DEFENSIO. CAP. XLIV.

Scipionis dictum.

Ita vero scutum pro defensione ponitur, ut milites eos ignominiose notari passim videas, qui plus salutis & spei in scuto, quam in gladio possident, Scipionis praecipue dictorio notum, cum militi, qui clypeum elegantius ornaverat, dixit: Non miror quod clypeum tanta ornaris cura, in quo plus praesidii statuas, quam in gladio. Scuto vero

